



Juan de Juanes la Pintó:

Juan Palomino la Grabó



Dicto **I**te missa est, vel **B**enedicamus Dómino, Sacerdos inclinat se ante médium altâris, & mânibus junctis super illud, dicit:

**P**láceat tibi sancta Trínitas obséquium servitútis meæ: & præsta ut sacrificium, quod óculis tuæ majestâtis indignus obtuli, tibi sit acceptábile, mihique, & ómnibus pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiábile. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Deíndè osculâtur altâre: & elevâtis óculis, exténdens, élevans & jungens manus, capútque Cruci inclínans, dicit: Benedícat vos omnípotens Deus, & versus ad pópulum, semel tantùm benedícens, étiam in Missis solémnibus, prosequitur, Pater, & Fílius, ✠ & Spíritus sanctus. **R.** Amen.

In Missa Pontificâli tér

benedíctur, ut in Pontificâli habêtur. Deíndè in cornu Evangélii, dicto Dóminus vobíscum, & **I**nítium, vel, **S**equéntia sancti Evangélii, signans altâre vel librum, & se, ut suprà in Evangélio Missæ, legit Evangélium secúndum Joánnem, In princípio erat Verbum, vel áliud Evangélium, ut dictum est in Rúbricis generálibus. Cùm dicit, Et Verbum caro factum est, genufléctit. In fine **R.** Deo grátias.

In Missis Defunctorum non datur benedíctio, sed dicto, Requiéscant in pace, dicit: Pláceat tibi sancta Trínitas. Deíndè osculâto altâri legit Evangélium sancti Joánnis. Finíto Evangélio S. Joánnis, discédens ab altâri, pro grátiarum actióne dicit antíphonam: Trium pueròrum, cum réliquis, ut habêtur in princípio Missâlis.